



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

I. De Missa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

ARTICVLI DE ABV-
SIBVS QVI IN EXTERNIS
RITIBVS MUTATI SVNT.

Hunc titulum, vt iam monuimus, reperimus alibi ante postremum paragraphum Epilogi nostrae editionis, perscriptum ita, vt expositus est.

I.

DE MISSA.

FALSO ACCVSANTVR ECCLESIAE NOSTRAE, QVOS Missam aboleant. Retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur. Seruantur & vsitatae ceremoniae fere omnes, praeterquam quod Latinis cantionibus admiscetur alicubi Germanicae, quae additae sunt ad docendum populum. Ideo enim opus est ceremonijs, vt doceant imperitos, & tractatio verbi Dei excitet aliquos ad verum timorem & fidem & inuocationem. Et non solum Paulus praecipit vt lingua intellecta populo, sed etiam ita constitutum est humano iure. Assuescit populus, vt vna vtantur Sacramento, si qui sunt idonei. Id quoque auget reuerentiam & religionem publicarum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, nisi prius explorati. Admonentur etiam homines de dignitate & vsu Sacramenti, quantam consolationem proponat his, qui agunt poenitentiam, vt discant homines & timere DEVM, & credere, & exerceant inuocationem, perant & expectent bona a DEO. Hi sunt veri cultus Christianorum. Hos cultus, timorem, fidem, inuocationem, spem, &c. probat Deus. Itaque cum hi cultus exercentur in vsu ceremoniarum, placet Deo Sacramenti vsus. Cum igitur & ad ceremoniam assuescat populus, & de vsu admoneatur, fiunt Missae apud nos rite & pie. Et geruntur omnia in Ecclesia, maiore cum grauitate & reuerentia, quam olim.

Constat autem, multis saeculis publicam fuisse quaerelam bonorum virorum de Missarum abusu ac prophanatione. Non enim obscure est, quam late pateat hic abusus in omnibus templis, a qualibus celebrentur Missae, contra Canonum interdictum. Deinde quam turpiter ad sacrilegum quaestum conferantur. Plurimi enim celebrant Missas, & sine poenitentia, & tantum ventris causa. Haec notiora sunt, quam vt dissimulari possint. Nec videtur vnquam vlla res diuina ab initio mundi, adeo vulgo ad quaestum collata esse, sicut Missa.

Missæ. Paulus autem horribiliter minatur his, qui indignè tractant Sacramentum, cum ait: Qui indignè ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini, reus erit sanguinis Domini, Et in Decalogo scriptum est: Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus. Vt igitur sæpe alias mundus dedit pœnas pro idololatria, ita haud dubie hæc ingens prophanatio Missarum atrocissimis pœnis punietur. Et fortassis propter eam causam præcipue plectitur Ecclesia his postremis temporibus, cæcitate, discordijs, bellis, & alijs multis pestibus. Atq; hos manifestos abusus Episcopi hæctenus, cum quidem non ignorarent eos, non solum tolerauerunt, sed suauiter etiam riserunt. Nunc sero incipiunt queri de calamitatibus Ecclesiæ, cum alia nulla res præbuerit occasionem tumultibus horum temporum, nisi abusus ipsi, qui ita erant iam manifesti, vt tolerari à moderatis hominibus diutius non possent. Vtinam Episcopi pro suo officio ante hæc tempora coércuissent auariciam atq; impudentiam seu Monachorum, seu aliorum, qui, mutato veteris Ecclesiæ more, Missas ad quæstum contulerunt.

Sed abusus illi, ex quo fonte orti sint, dicemus. Opinio est sparsa in Ecclesiam, quod cœna Domini sit opus, quod celebratum à sacerdote, mereatur remissionem peccatorum, culpæ & pœnæ, faciendi & alijs, idq; ex opere operato, sine bono motu vtentis. Item, quod applicatum pro mortuis, sit satisfactorium, hoc est, mereatur eis remissionem pœnarum purgatorij. Sic interpretantur sacrificium, cum Missam vocant sacrificium, opus videlicet, quod applicatum pro alijs, meretur eis remissionem culpæ & pœnarum, idq; ex opere operato, sine bono motu vtentis. Sic interpretantur oblationem à Sacerdote fieri in Missa pro viuis & mortuis. Hac persuasione recepta, iam homines docuerunt quærere remissionem peccatorum & omnis generis bonæ, Item liberare à pœnis mortuos, beneficio Missæ. Nec referebat à qualibus fierent Missæ, quia docebant eas prodesse alijs, sine bono motu vtentis. Deinde quærebatur, vtium vna Missa dicta pro pluribus, tantundem profit, quantum singulæ pro singulis. Hæc disputatio & numerum Missarum, & quæstum in infinitum auxit, Sed nos iam non de quæstu disputamus, impietatem accusamus. Docent enim nostri, hanc opinionem de merito & applicatione Missæ falsam & impiam esse. Hic est huius controuersie status. Ac facile est pijs iudicium de hac causa, si quis expendat argumenta, quæ sequuntur.

Primum. Supra ostendimus consequi homines remissionem peccatorum gratis fide, id est, fiducia misericordiæ propter Christum. Ergo impossibile est consequi remissionem peccatorum propter alienum opus, & quidem sine bono motu, id est, sine fide propria.

Hæc ratio satis clare refutat illam prodigiosam & impiam opinionem, de merito & applicatione Missæ.

Secundum. Passio Christi fuit oblatio & satisfactio, non solum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Hebræos scriptum est: Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel. Item: Vna oblatione consummavit in perpetuum, eos qui sanctificantur. Denique bona pars Epistolæ ad Hebræos consumitur in hac sententia confirmanda, quod solum Christi sacrificium meruerit alijs remissionem peccatorum seu reconciliationem. Inquit: Ideo quotannis repetita esse Leuitica sacrificia, quia non aboleuerint peccata. Sed Christi sacrificio semel satisfactum esse pro omnium peccatis. Hic honos sacrificij Christi, non debet transferri in opus Sacerdotis. Diserte enim dicit, Vna oblatione sanctos consummatos esse. Ad hæc impiū est, fiducia, quæ niti debet ipsa pontificis Christi oblatione & intercessionem, transferre in opus Sacerdotis.

Tertium. In institutione cœnæ Domini, non mandat Christus, ut offerant Sacerdotes pro alijs viuus ac mortuis. Qua igitur auctoritate hic cultus, tanquam oblatio pro peccatis, sine mandato Dei in Ecclesia institutus est?

Multo absurdius est, quod Missa confertur ad liberandas animas mortuorum. Nam Missa instituta est ad recordationem, hoc est, ut videntes cœna Domini, recordatione beneficij Christi erigant & confirment fidem, & consolentur conscientias perterritas, Nec Missa satisfactio est pro pœna, sed instituta est propter remissionem culpæ, videlicet, non ut sit satisfactio pro culpa, Sed ut sit Sacramentum, quo videntes admoneamur beneficij Christi & remissionis culpæ. Cum igitur illa applicatio cœnæ Domini ad mortuos liberandos sine scripturæ auctoritate, imo contra scripturam, recepta sit, damnanda est, tanquam nouus & impius cultus.

Quartum. Ceremonia sine fide in nouo Testamento nihil meretur, nec facienti, nec alijs. Est enim opus mortuum, iuxta illud Christi: Veri adoratores, adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Idem probat totum caput II. ad Hebræos: Fide potiore hostiam obtulit Abel. Item: Sine fide impossibile est placere Deo. Ergo Missa non meretur remissionem culpæ aut pœnæ, ex opere operato. Hæc ratio perspicue refutat meritum, quod vocant, ex opere operato.

Quintum. Fide propria fit applicatio beneficij Christi, sicut testatur Paulus Roma. 3. Quem proposuit Deus propitiorem per fidem, per sanguinem eius. Et hæc applicatio fit gratis. Ergo non fit applicatio alieno opere, neque propter alienum opus. Nam cum Sacramentis vtimur, nostro opere ac nostra fide fit applicatio non alieno opere. Etenim si non contingeret nobis remissio nisi applica-

tis

tis Missis, fieret incerta, & fiducia transferenda esset à Christo in opus Sacerdotis, idq; vt constat, accidit. Porro fiducia collocata in opus hominis, damnata est.

Hæc argumenta & pleraq; alia, testantur necessario reprehensam esse opinionem de merito & applicatione Missæ pro viuis & mortuis. Iam si considerabitur, quam late vagatus sit hic error in Ecclesia, quomodo hac persuasione creuerit Missarum numerus, quomodo viuis & mortuis hoc sacrificio promissa sit remissio culpæ & pœnæ, apparebit Ecclesiam propter hanc profanationem horrendis peccatis deformatam esse. Nunquam grauior causa, optime Imperator, in Ecclesia incidit, aut dignior, de qua docti & boni viri diligenter deliberent. Omnes pij ardentissimis votis à Deo petere debent, vt his peccatis Ecclesia liberetur. Reges omnes & Episcopi, omni studio anniti debent, vt hac tota causa rite explicata, repurgetur Ecclesia.

Sextum. Institutio Sacramenti pugnat cum illo abusu. Nihil enim de oblatione pro peccatis viuorum & mortuorum præcipitur, sed præcipitur, vt sumantur corpus & sanguis Domini. Et vt id fiat ad recordationem beneficij Christi. Recordatio autem significat non aliquam tantum hystoriæ repræsentationem, velut in spectaculo, sicut somniant illi, qui defendunt meritum ex opere operato, sed significat fide recordari promissionem & beneficium, consolari conscientiam, & gratias agere pro tanto beneficio. Principalis enim causa institutionis est, vt fides ibi exciteretur & exerceatur, cum hoc pignus gratiæ accipimus. Præterea institutio ordinat, vt fiat communicatio, hoc est, vt ministri Ecclesiæ porrigant etiam alijs corpus & sanguinem Domini. Et hunc morem seruatum esse in principio Ecclesiæ, testatur Paulus ad Corinthios, qui præcipit etiam, vt alij alios expectent, vt fiat communis participatio.

Patefactis igitur abusibus priuatæ Missæ, quia & pleraq; omnes fiebant, propter illam applicationem pro peccatis aliorum, & non conueniunt cum institutione Christi, deserunt in nostris Ecclesijs. Est autem instituta vna communis Missa, iuxta Christi ordinationem, in qua Pastores Ecclesiarum consecrant, sumunt, & porrigunt alijs Sacramentum corporis & sanguinis Christi. Et sic talis Missa singulis ferijs, atq; alijs etiam diebus, si qui velint vti Sacramento. Nec admittuntur ad communionem, nisi antea explorati. Adduntur & conciones piæ, sicut Christus præcipit, vt habeantur conciones cum hæc ceremonia tractatur. Et in his concionibus, cum de cæteris articulis & præceptis Euangelij diligenter docentur homines, tum etiam admonentur, ad quem usum institutum sit Sacramentum, videlicet, non quod ex opere operato mereatur eis remissionem peccatorum

catorum hæc ceremonia, Sed quod Sacramentum sit testimonium, sit pignus, quo Christus testetur se nobis præstare promissa, & quod promissiones ad nos pertineant, quod Christus exhibeat nobis corpus suum, ut testetur se in nobis efficacem esse tanquam in membris suis, Exhibeat sanguinē, ut testetur nos abluī sanguine suo. Prodest igitur Sacramentum his, qui agunt pœnitentiam, & ibi quærunt consolationem, & confirmati hoc testimonio, credunt vere sibi præstari remissionem peccatorum, & agunt gratias Christo pro tanto beneficio. Ita fit applicatio beneficij Christi, non propter alienum opus, sed propria cuiusq; fide, & proprio vsu Sacramenti. Nam cum ipsi vrimur, testatur ipsa Christi ordinatio, quod ad nos pertineat beneficium Evangelij. Talis vsus Sacramenti pius est, & docendus in Ecclesijs, qui & illustrat doctrinam de fide, & de spiritualibus exercitijs, & veris cultibus, & affert pijs conscientijs ingentem consolationem, & erigit fidem. Ante hæc tempora, de vsu Sacramenti longe aliter docebantur Ecclesiæ. Nihil proponebatur, nisi quod hoc opus faciendum esset. De fide, de consolatione conscientiarum, nemo quicquam monebat. Et vexabantur conscientia immo dica diligentia confessionis. Hanc putabant puritatem esse, quam requirit Evangelium, cum Evangelium requirat verum timorem & veram fiduciam, & vsu huius Sacramenti nos consolatur, ut hi qui pœnitentiam agunt, credant certo se habere Deum propitium propter Christum, etiamsi natura infirma & immunda est, etiamsi hæc nostra incoata obœdientia procul abest à perfectione legis. Ex his omnibus satis liquet, Missam apud nos, convenire cum institutione Christi, & ritu primæ Ecclesiæ. Ad hæc illustrat maxime verum vsus Sacramenti. Huiusmodi communis Missa fuit in veteri Ecclesia, ut Chrysostomus testatur, qui ait: Sacerdotem ad altare stare, & alios ad communionem accersere, alios vere arcere. Et ex Nicenæ Synodi decretis apparet, vnum aliquem celebrasse Liturgiam, ut Græci vocant, qui cæteris omnibus porrexerit corpus & sanguinem Domini. Hæc enim sunt verba decreti: Accipiant Diaconi secundum ordinem post presbyteros ab Episcopo, vel à presbytero sacram communionem. Hic diserte ipsos presbyteros ait accipere Sacramentum ab vno quodam porrigente. Nec privatæ Missæ vlla fit mentio, ante Gregorij tempora. Sed quoties veteres de Missa loquuntur, apparet eos de vna quadam communi Missa loqui. Cum igitur Missæ ritus apud nos habeat autoritatem scripturæ, & exemplum veteris Ecclesiæ, & tantum intolerabiles quidam abusus abiecti sint: Speramus non posse improbari, nostrarum Ecclesiarum morem. Cæteri ritus adiphoni, magna ex parte, vsitato more seruantur, Sed numerus Missarum dissimilis est. Nec olim in Ecclesijs frequentissimis fiebat

sebat quotidie Missa, vt testatur historia Tripartita lib. 9. cap. 38. Rursus autem in Alexandria, quarta & sexta feria scripturæ leguntur, easq; Doctores interpretantur, & omnia sunt præter solennem oblationis morem.

Hunc Articulum reperimus alibi collocatum tertio loco inter eos, quibus recensentur abusus mutati.

D E M I S S A.

¶ FALSO accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant, retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur. Seruantur & vsitata ceremoniæ fere omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admiscerentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum. Nam ad hoc opus est ceremonijs, vt doceant imperitos, & quosdam excitet vere ad timorem aut fidem ac orationem tractatio verbi DEI. Et non modo Paulus præcipit vt lingua intellecta populo in Ecclesia, sed etiam ita constitutum est humano iure.

Assueti populus, vt vna vtantur Sacramento, si qui sunt idonei, id quoq; auget reuerentiam ac religionem publicarum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, nisi antea explorati. Admonentur etiam homines de dignitate & vsu Sacramenti, quantam consolationem afferat pauidis conscientijs, vt discant Deo credere, & omnia bona à Deo expectare & petere. Hic cultus delectat Deum, talis vsus Sacramenti alit pietatem erga Deum. Itaq; non videntur apud aduersarios Missæ maiore religione fieri, quam apud nos.

Constat autem hanc quoq; publicam & longe maximam querelam omnium bonorum virorum diu fuisse, quod Missæ turpiter prophanarentur, collatæ ad quæstum. Neq; enim obscurum est, quam late pateat hic abusus in omnibus templis, à qualibus celebrantur Missæ, tantum propter mercedem aut stipendium, quam multi contra interdictum Canonum celebrent. Paulus autem grauitè minatur his qui indigne tractant Eucharistiam, cum ait, Qui ededit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Itaq; cum apud nos admonerentur Sacerdotes de hoc peccato, deserunt apud nos priuatæ Missæ, cum fere nullæ priuatæ Missæ nisi quæstus causa fierent.

Neq; ignorauerunt hos abusus Episcopi, qui si correxissent eos in tempore, minus nunc esset dissensionum. Antea sua dissimulatione multa vitia passi sunt in Ecclesiam serpere. Nunc sero incipiunt queri de calamitatibus Ecclesiæ, cum hic tumultus non aliunde sumferit occasionem, quam ex illis abusus, qui tam manifesti erant,

D 4 erant,

erant, vt tolerari amplius non possent. Magnæ dissensiones de Missa, de Sacramento extiterunt. Fortasse dat penas orbis tam diuturnæ prophanationis Missarum, quam in Ecclesijs tot sæculis tolerauerunt isti, qui emendare & poterant & debebant. Nam in Decalogo scriptum est: Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus. At ab initio mundi nulla res diuina, ita videtur vnquam ad quæstum collata fuisse, vt Missa.

Accessit opinio, quæ auxit priuatas Missas in infinitum, videlicet quod Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis, & instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus. Hinc manauit publica opinio, quod Missa sit opus tollens peccata viuorum & mortuorum, ex opere operato. Hic ceptum est disputari, vtrum vna Missa dicta pro pluribus, tantum valeat quantum singulæ pro singulis. Hæc disputatio peperit istam infinitam multitudinem Missarum.

De his opinionibus nostri admonuerunt, quod dissentiant à scripturis sanctis, & lædant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio & satisfactio, non solum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, vt ad Hebræos scriptum est: Sanctificati sumus per oblationem Iesu Christi semel. Item, Vna oblatione consummavit in perpetuum sanctificatos.

Item, scriptura docet, Nos coram Deo iustificari per fidem in Christum, cum credimus nobis remitti peccata propter Christum, Iam si missa tollit peccata viuorum & mortuorum ex opere operato, contingit iustificatio ex opere missarum, non ex fide, quod scriptura non patitur.

Sed Christus iubet facere in sui memoriam, quare Missa instituta est, vt fides in ijs qui vtuntur Sacramento, recordetur quæ beneficia accipiat per Christum, & erigat & consoletur pauidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse, ac sentire quod vere exhibeantur nobis. Nec satis est historiam recordari, quia hanc etiam Iudæi & impij recordari possunt. Est igitur ad hoc facienda Missa, vt ibi porrigatur Sacramentum his, quibus opus est consolatione, sicut Ambrosius ait, Quia semper pecco, semper deo accipere medicinam.

Cum autem Missa sit talis communicatio Sacramenti, seruatur apud nos vna communis Missa singulis ferijs atq; alijs etiam diebus, si qui Sacramento velint vti, vbi porrigitur Sacramentum his qui peccant. Neq; hic mos in Ecclesia nouus est, Nam veteres ante Gregorium non faciunt mentionem priuatæ Missæ. De communi Missa plurimum loquuntur. Chrysostomus ait, Sacerdotem quotidie stare ad altare, & alios ad communionem accersere, alios arcere. Et ex
Canoni-

